

- à legatario, si fuisset consignatus tempore debito.
- 36 Executio legatorum piorum propter negligentiam hæredis devolvitur ad Episcopum.
- 37 Negligentia in exequendis legatis piis regulariter est peccatum mortale.
- 38 Et potest intrare Fabrica Sancti Petri de Urbe.
- 39 An diminutis redditibus, diminuatur legata pia, etiam missarum, articulus fusc, & latè discutitur usque ad num. 56., & resolvitur distinguendo varios casus.
- 57 Cum legitima non consignata tempore debito, debentur, & fructus num. 58.
- 59 Valet pena apposta privationis hereditatis, si hæres negligat exequi, requiritur tamen interpellatio, ut exequatur num. 60.
- 61 Alia requiruntur ad executionem pœne privationis num. 62. 63., usque ad num. 66.
- 67 Pœna autem privationis legati in casu omissionis, intelligitur de omissione culpabili, quod probatur usque ad num. 96., ad favorem PP. Augustinianorum discalceatorum Comacini in casu contingenti, solutis rationibus in contrarium propositis.
- 97 Quando apposta est dies gratia multiplicandæ obligationis, ut in obligatione annua, tunc requiritur præmonitio.
- 98 Ad effectum exequendi privationis pœnam semper requiritur interpellatio.
- 99 Hæres habens electionem solvendi legatum vel in re, vel in pecunia, negligendo solutionem, Judicis arbitrio compellitur.
- 100 Si hæres potest eligere unum ex pluribus, & non eligat, omnes illi, qui poterant eligi, admittuntur ad legatum.
- 101 Negligentia hæredis non præjudicat substituto, nisi præscriptio incepta fuerit in vita testatoris.
- 102 Hæres gravatus tenetur de neglectis, non tamen quia meliora non fecit, num. 103.
- 104 Hæres gravatus potest cogi adire hereditatem per Fideicommissarium.
- 105 Hæres non vindicans per viam Juris cædem testatoris, meretur hereditate privari.
- 106 Non defendens testamentum inofficiosum, non præjudicat legatariis.
- 107 Non consignans dotem Uxori testatoris, tenetur ad interusura.
- 108 Pignus, quod perit, cedit in detrimentum hæredis negligentis.
- 109 Si res legata pereat, ex negligentia hæredis, quando hæredi, vel legatario pereat, ex culpa levi, vel etiam levissima.
- 110 Si casu fortuito pereat res legata, quam hæres neglexit consignare, si eodem pariter casu fuisset peritura apud legatarium, vel casu naturali, cui pereat diverse afferuntur sententiæ, usque ad num. 116.
- 117 Negligens curare, ut infans, vel minor adeat hereditatem sibi præjudicat, ut neque habeat restitutionem in Integrum.
- 118 Hæres negligens exigere pecunias investendas in re fructifera, & debitor interim fiat non solvendo, hæres tenetur ad damna.
- 119 Quod est verum si negligentia fuit culposa, ex culpa lata, num. 120.
- 121 Limita, si agendo judicialiter expensæ superexcederent creditum.
- 122 Vel si debitor casu subito, & inopinato fieret non solvendo.
- 123 Negligentibus agnatis hæredibus dotare feminas ultra decimum octavum annum, posunt ille petere dotem duplicatam, ex Statuto Ferrariæ, & habent electionem etiam contra bona alienata, & existentia apud tertium possessorem.
- 124 Hæredes tamen minores 20. annorum, evitant pœnas.
- 125 Jus ad dotem illam duplicatam transmittitur ad hæredes.
- 126 Hæres habens facultatem solvendi dotem, vel in pecuniam, vel in bonis ad suum beneplacitum, si negligat eligere, & solvere ultra terminum taxatum, amittit facultatem eligendi, si verò terminus non sit taxatus, per litem contestationem amittit facultatem, vel elapso termino à Judice assignando, & num. 127. 128.
- 129 Qui promisit matrimonium contrahere, non tenetur statim, sed arbitrio boni Viri, vel cum fuerit interpellatus.
- 130 Debitor quandoque ob timorem reverentialem, vel Verberum, vel Injuriarum non petit, & tunc Creditor in conscientia tenetur solvere, & ad omnia damna, quæ ex sua negligentia sequuntur.
- 131 Hæres, qui finita linea tenetur restituere bona in Inventario descripta, post plures annos, an præsumatur exegisse nomina debitorum, & videbatur dicendum exegisse, quia negligentia in eo, quod suum commodum respicit, non præsumitur.
- 132 Et si nomina parierint illi perisse.
- 133 Opponebat quod constaret ea nomina fuisse exigibilia de tempore mortis testatoris.

- 134 Limita, nisi hæres gravatus ipse excipiat de Inexigibilitate eorundem nominum, quia tunc debet probare exceptionem.
- 135 Commissarius relictus in testamento non tenetur acceptare onus commissarii, nisi acceptavit legatum adnexum Commissariæ.
- 136 Commissario non acceptante, Episcopus tenetur exequi ultimam voluntatem testatoris, maxime quoad legata pia.
- 137 Commissarius electus non acceptando peccaret contra charitatem, si ex inde mens testatoris non mandaretur executioni in præjudicium Ecclesiæ, vel pupillorum.
- 138 Si Commissarius acceptavit munus, tenetur diligenter exequi.
- 139 Eo non exequire post annum executio devolvitur ad Episcopum, prævia tamen monitione, & quidem unica.
- 140 Exequitor testamentarius, qui negligit vendere bona juxta mentem testatoris, & pauperibus pretium distribuere, peccat mortaliter.
- 141 Nisi dilatio sit brevis judicio prudentis, & spectetur augmentum notabile in pretio.
- 142 Si testator prohiberet, ne Episcopus exequatur, etiam negligente Commissario, non attenditur prohibitio, nisi alterum exequitorem substituerit.
- 143 An executio devolvat ad Episcopum, ubi morabatur testator, vel ubi sita sunt bona, remissive.
- 144 Si exequitor negligat exigere, & interim nomina debitorum fiant inexigibilia, quæ erant exigibilia, exequitor tenetur ad damna.
- 145 Si exequitor nullum sentit commodum, tenetur tantum de dolo, si verò sentiat commodum, tenetur etiam de culpa.
- 146 Si testator commisit ad aures, & secreto legati executionem, & commissarius negligat, aut præmoriatur, tunc quia incertum est an legatum sit pium, vel profanum, Episcopus exequetur in opus pium, tanquam verissimilius.
- 147 Negligentia unius cohæredum, non nocet alteri.
- 148 Negligente beneficiato reparare fabricas, seu Ecclesiam, tenentur hæredes, etiam appellatione remota.
- 149 Si testator legavit centum, & negligente hærede ea dare, legavit fundum negligentia incursum, ipso Jure exequire dominium fundi transit in legatarium, nec admittitur purgatio moræ, quia res non est integra.
- 150 Hæres non potest recusare, & omittere solutionem legati cujuscumque generis, & speciei facti ad favorem Monialium Capucinarum Sanctæ Claræ profitentium observantiam strictissimæ, & primæ Regulæ Sanctæ Claræ, quia adhuc sunt capaces hujusmodi legatorum in communi, & tanquam validum legatum est omnino solvendum, ut in Voto per totum, Hæredesque morosi, ac negligentes possunt cogi, etiam actione judiciali tam in foro Ecclesiastico, quam laicali si hæredes sint Laici.

ARTICULUS XXI.

De Negligentia Hæredum, & Legatariorum.



- N** pluribus solent hæredes, & Legarii negligentia culpari, aliqua tangam.
- 1 Primus negligentia effectus in hærede est, quod si negligat testatorem curare in infirmitate, puta non advocavit Medicum, non præstavit medicinas, nec alimenta necessaria, ita ut ex hac culpabili negligentia testator moriatur hæres indignus est hujusmodi neglecto testatori succedere, & sic ab hereditate repellitur *clarus tex. in l. Indignum ff. de iis qui*
- bus ut indign. Peregrin. de Jure Fisci lib. 2. tit. 3. sub num. 1. Farinac. de homicidio q. 120. num. 35.*
- 2 Si hæres extraneus non adeat hereditatem infra annum, elapso anno jus illud adeundi, aut se immiscendi expirat *l. cum in antiquioribus C. de jure deliberandi*, quod anni tempus currit, vel à die mortis testatoris, vel à die scientiæ, hereditatem esse delatam, ut explicat *Omotim. Inst. de hæredum qualitate §. extranei num. 9.*
- 3 Limita primò, nisi hæredes petierint, &

- obtinuerint aliud temporis spatium ab homine; quod ab Imperatore potest concedi annus, & à Judice inferiori potest concedi spatium novem mensium, dummodo petatur hoc spatium, antequam expiret omnimodè tempus legale, *l. finali §. in hac quidem C. de jure deliber.*, ut explicat *Omotim.* in loco supra citato.
- 4 Verùm aliter rem explicat *Menoch. de arbitr. Judic.*, quod scilicet à lege nullus sit terminus taxatus, intra quem hæres scriptus limitatè cogatur adire hæreditatem, ita in *c. 1. lib. 2. num. 3.*, sed hunc terminum assignandum esse à Judice, ita ut à Principe possit assignari annus, à Judice verò inferiore novem menses, vel alius brevior terminus, dummodò non brevior centum dierum; ita *Menoch. supra nu. 2.*, ubi *num. 3.*, & *4.*, respondit ad contraria, & in specie *ad tex. in l. cum in antiquioribus*, dicit loqui solum, quoad transmissionem; habita ratione ad annuale tempus, quod ab Imperatore impetrari poterat, & quid verisimilius erat ab hærede petendum, nec longius poterat impetrari: Quidquid autem sit de harum sententiarum soliditate, hoc tamen certum est, quod facit ad nostrum institutum, quod hæres negligens adire hæreditatem infra annum, vel tamquam terminum à lege, vel tamquam ab homine præstitutum, amittit illud Jus adeundi.
- 5 Hinc est, quod *Baverius de mora p. 1. sub n. 20.*, notat, quod ut hæres dicatur in mora in adeundo hæreditatem, necessarium erit, quod ei fiat præceptum per Judicem de adeunda hæreditate, argumento in *l. ille à quo §. si testamento ff. ad Trebell.*
- 6 Limita secundò, nisi creditores instent, ut cui delata est hæreditas se declaret, an velit esse hæres, vel non, qua instantia facta, si hæres petat terminum ad deliberandum debet iste terminus moderatò Statui per Judicem, *l. si curatores*, ubi *Alexandr. Bald.*, & alii *C. de jure deliber.*, *Cancer. variarum lib. 3. c. 21. num. 19.*, *Antonell. de tempore legali lib. 2. c. 38. num. 10.*, & *11.*, ubi quod Judex ad consulendum creditoribus, & ad eorum instantiam dare possit Curatorem bonis, & hæreditati jacenti, potestque brevior terminum Judex assignare, non tamen ad effectum, ut præcludatur via hæredi scripto adeundi hæreditatem,

ut latè prosequitur *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. casu primo num. 12.*

- 7 Tenendo autem sententiam, quod nullus sit terminus à lege taxatus adeundi hæreditatem juxtà prædicta, sequitur, quod si nemo instet pro tali assignatione termini à Judice, quod tunc hæres, ex capite unde legitimi, habet spatium 30. annorum, intra quod potest semper adire, *Rota decis. 766. num. 4. Vers. & cum eis p. 2. recent.*, & *decis. 120. num. 6.*, *Dunozet. Junior.*, post illud verò, non potest, quia hoc Jus adeundi tanto temporis spatio 30. annorū præscribitur *Antonell. de tempore leg. lib. 2. cap. 92. num. 1.*, & *seqq.*, ubi *num. 3.*, benè notat, quod post præscriptionem 30. annorū datur restitutio in integrum, ex capite Ignorantiae intra quadriennium, quod currit post præscriptionem completam, ubi *num. 4.*, quod si hæres in testamento sit proximior testatori, & intra 30. annos non adiverit, poterit intra alios 30. annos adire ab intestato, unde non erit exclusus, ex capite negligentiae nisi post 60. annos, immò filium habere spatium 90. annorum, quia cum possit venire ad successionem Patris ex triplici capite, videlicet ex capite unde liberi, unde legitimi, & unde cognati, si spatio 30. annorum est exclusus, ex primò capite, potest venire ad successionem, ex secundo capite, infra alios 30. annos, & si hoc secundo spatio lapsò, fuit exclusus ex secundo capite, potest venire infra alios 30. annos, ex tertio capite per *tex. in l. 1. §. sed videndum ff. de success. edict.*, *Caval. opin. comm. q. 715.*, & *Antonell. loco citato num. 6.*, & *7.*, benè addit prædicta habere locum, dummodò res sit integra, idest quod alius ex capite unde liberi, non sit admittus ad hæreditatem, quia tunc filius primo spatio 30. annorum exclusus, remanet etiam exclusus ab omnibus aliis, *Merlin. de legitima lib. 5. tit. 3. q. 10. num. 30.*
- 8 Data igitur negligentia in adeundo hæreditatem in termino, ut supra explicatum est, sequitur, quod hæreditas transverfali non adita, neque transmittatur, *l. cum in antiquioribus C. de Jur. de liber.*, *l. si ex pluribus ff. de suis*, & *legitimus*, *l. Unica §. In novissimo C. de caduc. toll.*, *Surd. decis. 140. num. 5. 6.*, *Rota in firmana fideicom. de Formonis 9. Junii 1634. coram Panzirollo*, & *in Avenionem. fideicom. 19. Novembris 1635. coram*

coram Buccabella, Leoncil. decis. Ferraria 2. num. 7.

- 9 Qui tamen effectus non transmissionis limitatur primò; Si agatur de hæreditate ascendentium, ut in ead. *Avenionem. fideicom. 3. Maii 1636. coram eod. Buccabella*, ex *l. Unica C. de iis, qui ante appert. tab.*, *Bartol. in l. Ventre præterito num. 25. ff. de acquir. hered.*, *Bald. in l. si Avia num. 40. C. de Jur. deliber.*, *Gail. observat. 131. num. 5. lib. 2.*, & hoc propter effectum fuitatis; *Rota in Romana, seu Urbevetana legitima x. Decemb. 1632. coram Pirovano num. 1. 2. 3.*, & *in Camerinen. hereditatis 21. Febru. 1631. coram Merlino num. 39.*, ubi *num. 40.*, recensentur tria requisita ad hoc, ut hæreditas non adita trasmitatur ex capite Juris deliberandi, & est impressa, etiam post *Farinac. de ultimis voluntatibus decis. 64.*, *Crafs. in §. legitima quest. 37.*, *Surd. Conf. 341. num. 1. lib. 3.*
- 10 Limitatur secundò, infideicommissaria hæreditate, quæ etiam non adita trasmititur *l. si post diem ff. quando dies leg. cod.*, *l. Unica §. Cum igitur C. de caduc. toll.*, *Vivian. de Jur. Patron. lib. 4. cap. 1. sub num. 54. Vers. ad primum responderetur*, *Peregrin. de fideicom. art. 22. num. 3.*, & latè *Fusar. de substit. quest. 487.*, Negligentia igitur in adeundo hæreditatem in his casibus non nocet transmissioni.
- 11 Quartò, Hæres negligentia culpatur, si post aditam hæreditatem effectualiter bonorum possessionem non capiat, quia sola aditio non operatur possessionem, *l. Cum heredes 23. in principio ff. de acquir. possess.*, *Ancharan. conf. 318. num. 2.*, *Afflict. decis. 162. num. 3.*, *Berò. conf. 62. num. 5. lib. 3.*, & *conf. 47. num. 22. eod. lib. 3.*, *Joseph. Ludovic. concl. 16. fol. 52. col. 2. Vers. duodecimo quod*, *Rota in Viterbien. hered. 16. Jan. 1637. coram Buccabella num. 3.*, ubi recensetur prejuditium, quod oritur ex hac omissione captæ possessionis, nempe, quod bona, & corpora, in quibus non est capta possessio adhuc dicantur vacantia, & alius potest in eorum possessionem immitti, ex testamento in vim clausulæ, dummodo bona sint vacantia.
- 12 Immodò adhuc committet negligentiam hæres, si non capiat possessionem cujusunque corporis particularis, adeo ut possessio, quoad aliqua non suffragetur, quoad re-

liqua, quorum possessio effectualiter capta non fuerit, *l. 1. §. Veteres*, & ibi *gloss. ff. de acquir. possess. l. 3.*, & ibi *Jason. num. 30. ff. de eod.*, *Parif. conf. 37. num. 17.*, *Rota in præcitata Viterbien. hereditatis, coram Buccabella num. 4.*, quæ dat alias decis. concordantes;

13 Quintò, Hæres incurrit negligentiam, si adeundo hæreditatem non conficiat Inventarium, vel non integrum, vel sine debitis requisitis, quæ sunt octo, vel novem, ad tradita per *Franc. de Porcelinis tract. de Inventario c. 2.*, ex cujus omissione plura incurrit incomoda, & quidem, Primò, quod teneatur solvere debita, & legata, etiam ultra vires hæreditatis, & de propriis bonis satisfacere, *l. fin. C. de jur. deliber.*, *cap. Raynaldus ad finem de testamentis, Roland. conf. 73. num. 1. vol. 2.*, *Farinac. repert. de ult. volunt. q. 21. c. 2. num. 3.*, & *q. 75. num. 1.*, ubi numeris sequentibus, quod ab hoc incommodo non excusantur, nec clerici, nec mulieres, nec milites, nec minores, nec filius, ubi habes plures ampliationes, & plures limitationes hujus regulæ.

14 Limita tamen in pia causa instituta, quæ adicens hæreditatem absque beneficio inventarii non tenetur ultra vires hæreditatis, ex traditis per *Vivium comm. opin. 352. num. 9. post Bartol. in l. 1. q. 4. princ.*, *C. de Sacros. Eccl.*, *Tiraquell. de privileg. piæ causæ privil. 88.*

15 Limita in foro conscientiae, qui neminem condemnat ultra vires hæreditatis, *Farinac. d. c. 2. n. 6.*, *Gratian. discept. for. c. 34. nu. 12.*, & *13.*, ubi reddit rationem, quia scilicet forus externus condemnat hæredem ultra vires hæreditatis, id facit, quia præsumit hæredem in dolo, occultasse bona hæreditaria, ob quam præsumptionem doli in pœnam condemnat eundem, at forus conscientiae, qui nititur veritati naturali, & reali, omittis quibuscunque præsumptionibus, non aligat hæredem, nisi in quantum ad ejus manus pervenerit. *Grass. q. 21. in fine de Inventario, Farinac. de ultim. volunt. q. 75. num. 27.*, *Vivius comm. opin. lib. 1. opin. 352. num. 1.*

Quod militat, non solum respectu legatariorum, sed etiam respectu creditorum, quia eadem est ratio, quidquid alii in contrarium dixerint, *Valerius de differentiis utriusque Fori, Verb. hæreditas diff. 2. ad finem*